

Doleo quotidie quod ne minimam habeo vivam notitiam plurium tuorum rarissimorum generum, quodque nondum accessere flores quos miseris cum Gronovio, toties elusus fui, ut non audeam adoptare genera quae mihi non palpabilia visa aut ita delineata ut dubium esse nequeat, ne incurram errores istos, quos in suis generibus accepit Ludwigijs. de hoc confirmatus fui ab optimo Brownio, et dolo etiamnum Ellisiam, ob non bene notam Cornutiam.

Androsacen Tuam non esse maximam ex fructu vidi, sed quaenam species, nisi videam bene enatum specimen non dicam. Semen certe nullum aderat.

Agaricus quercinus 25. erat fungus missus.

Loranthus tuus europaeus videtur valde similis Visco, si fructus essent magis axillares. Quaeso in tabula ante omnia addas figuram floris, sine qua nullus Tibi credat.

Icones Tuae sunt omnium pulcherrimae, nescio quam dant vividissimam faciem plantae, videor me plantas ipsas ex his coram intueri.

Mimosam tuam nodosam jam in horto hac hora examinaui, est nisi me omnia fallant fagifolia MIMOSA inermis, foliis pinnatis bijugis, petiolo submarginato. Arbor siliquosa faginifoliis, americana, floribus comosis Pluk. alm. 44. t. 141 f. 2. Habitat in Barbados. Anne stamina ad basim connata?

Si incisae sint figurae Browneae, Russelliae, Ginorae, Heisteriae, Hilliae, quaeso mittas. Si possem habere antequam ad eas perveniret Typographus meus, possem Tua genera et species inserere.

His vale et me prout facis ama.

Upsal. 1762, d. 30. Aprilis.